

juxta diversas circumstantias a Fisco exigendum esse, et ab eodem pro arbitrio in pios usus erogandum.

(48. Quoniam vero antedictæ compensationis amissio culpæ proportionata non esset, nisi condigna punitio ulterius accederet; propterea pœna afflictiva corporis contra eosdem stabilita est, et pro gravitate delicti ita inviolabiliter observanda præscribitur.

(49. Patres, Matres, Fratres, alique, ad quos spectet cura, et custodia puellarum, dum rei aperti lenocinii probentur, pœnæ subjiciuntur carceris decem annorum, juxta diversitatem sexus. (50. Si vero non aperti lenocinii, sed solius conniventiae rei fuerint, trirēibus, aut respective carceri subjiciuntur, septem annorum pro Judicis arbitrio, qui pro diversitate casuum, et personarum, pœnam decernet simplici negligentiae debitam.

(51. Servi vero, Ancillæ, Familiares, alique stipendio conducti homines, quorum ope, auxilio, aut consilio, stuprum secutum sit, vel trirēibus pro septem annis, vel carceri ut supra, subjiciuntur; atque omnes generaliter, (52. licet domestici non fuerint, si lenocinii rei convincantur, quinque annis carceris vel trirēis pœna puniantur; arbitrio tamen Judicis committitur pœnam ad majus quoque tempus extendere, juxta diversas circumstantias casuum, etc.

(53. In omnibus autem supradictis casibus conniventiae, vel lenocinii rei, antequam ad trirēes mittantur, vel carceribus detrudantur, per Urbem circumduci debent cum Mitra, et infamiae cartam ferentes, in qua sit eorum conscriptum delictum, ut fieri in iis solet, qui fustigatione puniuntur.

ARTICULUS III.

Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem soluto matrimonio, et facultatem eam repetendi constante matrimonio.

(1. Soluta Matrimonio per mortem naturalem mariti, dos adventitia est integra restituenda uxori, textu expresso in leg. ult. Cod. *soluta Matrimonio*, et leg. unic. § *Accedit*, Cod. *de rei uxor. Action.* juncto c. *Donatio* 8, de *Donationibus inter vir. et uxor.* Est communis. (2. Dos profectitia tamen redit una cum dote ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis; cit. leg. unic. Cod. *de rei uxor. Action.* Ipse tamen dotans tenetur eandem dotem prius dotatæ iterum dare, si alteri nubat; Authent. *Sed quamvis* cit. leg. unic. *de rei uxor. Action.* (3. Si autem uxor jam est emancipata, vel si adsit statutum, aut consuetudo, ut proles statim ac nubunt, hoc ipso emancipatæ habeantur, dos est restituenda uxori citat. leg. ult. Cod. *soluta Matrimonio* et l. unic. Cod. *de rei uxor. Action.* Et ratio est, quia quando filia est emancipata a Patre, Pater ipse in ordine ad eandem habetur pro extraneo, cum illam non habeat in sua potestate, per textum in d. l. unica § *Extraneum*, Cod. *de rei uxor. Action.* Statim enim ac filia est emancipata, intelligitur absolute, et simpli-

citer recta domina illius dotis per textum in d. l. unica § *Videamus*, Cod. *de rei uxor. Action.* adeo ut facta vidua possit de illa disponere per ultimam voluntatem, etiam absque patris consensu; Joann. Angel. Bossius *de Dote* cap. 3, num. 270. Gabriell. consil. 16, num. 35, et sequent. lib. 1, et alii passim.

(4. Soluta Matrimonio per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata, textu expresso in l. *Succursum*, ff. *de Jur. dot.* ibi: « Jure succursum est Patri, ut filia amissa, solatii loco redderetur ei dos ab ipso profecta, ne et filiae amissæ, et pecuniæ damnum sentiret, » et l. *Dos a patre*, Codic. *soluta Matrimonio*, ibi: « Dos a patre profecta, si in Matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet. » Dicitur autem notanter *de Jure communi*, quia de jure municipali diversimode res se habet in diversis Provinciis, et locis. Alicubi enim cautum est, ut si uxor per annum vixerit cum marito, et postea moriatur maritus, acquirat ex integro dotem; alicubi, ut acquirat solummodo medietatem, et alia medietas redeat ad dotantem parentem; alicubi, ut maritus non existentibus communibus liberis, præmortua uxore jam ad maritum traducta, vel Matrimonio per copulam carnalem consummato, lucretur dotem datam, et promissam, ut refert statutum Mediolanense in cap. 298. vol. 1. et aliter alibi. Unde circa hoc attendi debet cujusque loci jus municipale, et consuetudo, quæ est optima legum interpret leg. 37. ff. *de Legibus*, et cap. *Dum dilectus* 8. de *Consuetudine*. (5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmortua filia ipsa, dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filiae ab intestato, textu expresso in d. l. unica, § *Videamus*, Cod. *de rei uxor. Action.* ibi: « Si parens dote pro filia, vel nepti præstita emancipaverit eam, vel ipsa decesserit, rei uxoriæ actione dotem omnino ad mulierem pertinere, etiamsi fuerit exhæredata; » Camillus Borellus in summa decis. tom. 3. tit. 4. num. 199. Vincentius in l. *Post dotem* num. 31. ff. *soluta Matr.* Angelus Bossius tract. *de Dote* cap. 3. num. 168. et alii passim.

(6. Dos adventitia, mortua uxore, de jure communi non transit ad maritum; arg. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter virum et uxorem*; Dos enim adventitia pleno jure pertinet ad ipsam uxorem, adeoque, ipsa mortua transit ad ejus hæredes ab intestato; l. *Avus* 49. ff. *de Jure dot.* Boschejus *de Legit. nuptiis* lib. 4. num. 11. vers. *Unde apparet*; Baldus Novellus *de Dote part.* 8. privil. 10. n. 11. Rosign. *de Dotè* tom. 2. contr. 19. prænot. 2. num. 5. et alii. Et ratio est, quia sistendo in jure communi, maritus eatenus gaudet dote, ejusque fructibus, quatenus perseverat Matrimonium, ejusque onera sustinet; quo Matrimonio, ejusque oneribus cessantibus, dos adventitia ad eos transit, quibus de jure comœtit: leg. unica § *Procul dubio*, ff. *de*

rei uxor. Action. Fachineus contro. 35. § 2. lib. 6. Rosignol. loco cit. Reiffenstuel. lib. 4. *Decretal.* tit. 20. num. 76. et alii. (7. Sic etiam dos a stupratore constituta filiae stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed transit ad hæredes ejusdem stupratæ. Et ratio est, quia illa dos in pœnam consummati delicti facta est pleno jure ejusdem fœminæ stupratæ, arg. c. *Si seduxerit* 1. de *Adulter. et Stupr.* Panormitanus in dict. cap. 1. de *Adulter. Farinacius de Delict. carn.* quæst. 147. § *Dos* num. 112. Joann. Baptista Lupus tract. *de Illegitim. et natur. lib.* comment. 1. § 1. n. 125. vers. *Et ista dos*; Molina *de Just. et Jur.* tract. 3. disput. 104. vers. *Justa*. (8. Eadem ratione dos constituta per raptorem filiae raptæ, mortua ipsa rapta non revertitur ad raptorem, sed pleno jure transit ad hæredes ejusdem raptæ; Thesaurus decis. 217. n. 6. in fin. Cancerus in tertia parte variar. resol. cap. 11. de *Sponsal. et Matrimon.* num. 24. Sanchez *de Matrim.* leg. 7. de *Imped.* disp. 13. num. 1. Bajardus in addit. ad Julium Clarum in § *Raptus* num. 35. Rosignol. loco cit. numer. 7. et alii. (9. Item dos constituta a viro sene et ignobili uxori juveni et nobili, in compensationem juventutis, et nobilitatis, non revertitur ad ipsum dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem fœminæ, Ripa in leg. *Fœmina*, num. 44. C. *de secundis Nuptiis*, Surdus cons. 471. num. 29. liber 4. Stephanus Gratianus *Discept. foren.* cap. 984. num. 9. Lupus in rubr. *de Donatio. inter vir. et uxor.* § 5. numer. 35. in fin. et alii.

(10. Soluta Matrimonio quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus, v. gr. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraxerunt, dos integra restituenda est uxori putativæ; arg. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter vir. et uxor.* et ibi Glossa verb. *Licita*, et communis Doctorum. (11. Dicitur autem notanter *ignoranter*, quia contrahentes scienter cum impedimento dirimente, amittunt quiddam unum alteri dedit, dotem scilicet, et donationem propter nuptias, Fisco totum acquirente, nisi minor ætas excuset, textu expresso in l. *Qui contra* 4. et Authent. *Incestas nuptias*, Cod. *de Incestis nupt.* et ibi Glossa verb. *Licita*. (12. Si Matrimonium ex licita causa separatur, quia v. gr. Maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota dos est restituenda uxori, textu expresso in cit. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Mulieres cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus sibi reddi, » et ibi Barb. num. 5. et communis aliorum. (13. Si vero Matrimonium separatur quoad torum per Ecclesiæ judicium, ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio, seu divortium fiat ex culpa Mariti, dos est restituenda uxori, arg. cit. cap. *Mulieres*; si autem fiat ex culpa uxoris, v. gr. ob ejus adulterium, ipsa perdit dotem, eaque accrescit Marito; cap. *Plerumque* 4. de *Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Si mulier ob causam for-

nicationis judicio Ecclesiæ, aut propria voluntate, a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non potest, » et concordant leg. *Consensu* 8. de *Repudiis*, et *Novell.* 117. c. 8. et 9.

(14. Dissoluto Matrimonio, non tantum integra dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum bonorum, et lucrorum, quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus simul, ac utriusque intuitu obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, negotiatione, emptione ex utriusque pecuniis, aut bonis facta, debet a Marito restitui uxori, seu ejus hæredibus textu expresso in cap. *Significavit* 2. de *Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Quæ ipsius dum simul viverent conjusculumque contractus titulo communiter obvenerunt.... ad divisionem eorum compellatis; » Barbosa ibidem num. 6. cum communi aliorum. (15. Illa autem bona, et lucra, quæ constante Matrimonio uni conjugi in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, etc., non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent ut propria illi soli conjugi, cui soli legata aut donata sunt. (16. Certa, et communissima. Sic illa lucra, quæ omnia solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc., constante Matrimonio acquisita sunt, ut lucra, quæ faciunt Officiales, et Ministri Principum, Advocati, Medici, Consiliarii, Judices, etc., soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis, debetur uxori aut ipsius hæredibus; Est communis cum Barbosa in cit. cap. *Significavit* numer. 5. et Gonzal. ibidem num. 5. Guttier. lib. 2. pract. quæst. 118. numer. 5. Nullo enim jure nec civili, nec Canonico statutum reperitur, quod de hujusmodi bonis quidquam uxori restituatur.

(17. Constante Matrimonio, si Maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assecurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere dotem suam, textu expresso l. *Si constante* 24. princip. ff. *solut. Matrim.* et l. *Ubi adhuc* 29. c. *de Jur. dot.* dummodo tamen non maneat penes uxorem, sed detur cuidam mercatori, aut alicui securæ, et licitæ negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, et onera Matrimonii sustentari valeat; arg. cap. *Per vestras* 7. de *Donat. inter vir. et uxor.* et ibi: Barbosa n. 7. Engel lib. 4. decret. tit. 20. num. 9. Surdus *de Aliment.* tit. 9. qu. 40. num. 37. et alii passim. (18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur uxor arbitrante Judice acceptare. Sic contra communem Legistarum communior Theologorum, et Canonistarum, teste Haunoldo tract. 4. cap. 5. contro. 6. num. 399. arg. cit. cap. *Per vestras* 7. de *Donat. inter vir. et uxor.* ubi Innocentius Tertius Summus Pontifex mandat Archiepiscopo, et Archidiacono Genuensi, tamquam Judicibus, ut in casu præfati periculi dotem Marito sub cautione sufficienti relinquunt, vel alicui securæ, et licitæ negotiationi, seu Mercatori ad hone-

stum lucrum committant, ibi : « Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui Mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera Matrimonii possit sustinere. »

(19. Si absque sua culpa maritus vergit ad inopiam, v. gr. ratione inculpabilis naufragii, incendii, et hujusmodi, nequit cogi ad restituendam dotem, ut recte observat Glossa in cit. cap. *Per vestras* verb. *Ad inopiam*, arg. *Novell. 67. c. 6. princip.* ubi tunc tantum reddere dotem cogitur Maritus, si res male gubernat, eo vel maxime quod uxor etiam teneatur de sua dote maritum inopem sustentare, leg. *Maritus 37. ad fin. ff. de Jure dot.* (20. Potest tamen uxor, incipiente marito vergere ad inopiam, aut decoctionem, agere hypothecaria contra tertium creditorem, etiam constante Matrimonio: nec creditor potest opponere jus offerendi ad impediendam ipsam uxorem. Hoc privilegium colligitur ex Cino in l. *Ubi adhuc* in quæst. 13. *Cod. de Jure dot.* quod etiam sustinet Baldus Novellus *de Dot.* part. 7, privil. 47. et alii. Et ratio est, quia illa recuperatio dotis, vergente marito ad inopiam, non est in rigore propria, et vera restitutio, ut notant Glossa, et Bart. in l. *Si constante*, ff. *solut. Matrim.* cum servari debeat, et committi alicui Mercatori, aut licitæ, et securæ negotiationi, ut ex fructibus ejusdem sustineri possint onera Matrimonii, ut constat ex cit. cap. *Per vestras*; et sic magis interest uxori habere bona sibi hypothecata, quam pecuniam sibi oblatam.

(21. In hoc casu si bona, quæ uxor detinere intendit contra tertium creditorem, essent excedentia dotem, et divisibilia, posset tantum detinere, quantum sufficeret ad dotem, reliquum verò teneretur dimittere. Et ratio est, quia æquum non videtur, ut uxor lucretur cum aliorum jactura, per textum in *Leg. Jure succursum*, § *fin. de Jur. dot.* nam licet jura eidem succurrant pro sua dote ad eam conservandam, non tamen ad eam augendam cum aliorum jactura; arg. *Regul. juris 48. in 6. ibi* : « Locupletari non debet aliquis cum alterius jactura, vel injuria. »

(22. Si vero bona illa essent indivisibilia, posset illa, constante Matrimonio, detinere, sed excessum fructuum teneretur restituere, et ratio est, quia uxor in hoc casu lucrum non acquireret, cum aliorum jactura, ut elare patet, cum relaxaret fructus excedentes in favorem creditorum, et aliunde ratione hypothecæ, quam habet in omnibus bonis mariti, sit omnibus aliis creditoribus præferenda, ex l. *In rebus 50. Cod. de Jure dot.* et l. *Assiduis 12. § 1. Cod. Qui potiores in pign.*

(23. Potest insuper uxor, constante Matrimonio, suam repelere dotem, si bona Mariti Fisco inferantur; arg. l. *Si marito*, ff. *solut. Matrim.* ibi : « Si marito publico judicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, Fiscus creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est. »

(24. Uxor ratione dotis habet tacitam, et privilegiatam hypothecam in omnibus bonis

Mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. Est communis et certa textu expresso leg. *In rebus 30. Cod. de Jure dot.* ibi : « In rebus dotalibus, sive mobilibus, seu immobilibus, sive se moventibus (si tamen extent), sive æstimatæ, sive inæstimatæ sint, mulierem in his vindicandis, omnem habere post dissolutum Matrimonium prærogativam jubemus, et neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiore causam in his per hypothecam vindicare. » et leg. *Assiduis 12. § 1. Cod. Qui potiores in pign.* ibi : « Sancimus ex stipulato actionem, quam mulieribus jam pro instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere creditores, licet anteriores sint temporis privilegio vallati, etc., licet res dotalis, vel ex his aliæ comparatæ non extent, sed quocumquemodo, vel dispositæ vel consumptæ sint. »

(25. Pro complemento, et uberiori notitia et regula omnium, quæ hactenus dicta sunt de dote, advertendum est, quod præ omnibus pacta dotalia, seu speciales conventiones, et locorum consuetudines, seu specialia statuta attendi debent; arg. tot. tit. ff. *de Pactis dotal.* et C. *de Pactis convent.*, et cap. *Donatio 8. de Donat. inter. vir. et uxor.* ibi : « Sano soluto Matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic et donatio propter nuptias redit ad viram, nisi de consuetudine secus obtineat; vel ex pacto de lucranda dote, et donatione propter nuptias, quod æquale sit, tamen hinc inde contrarium judicatur, » et ratio est, quia ut habet l. 73. *Juris in 6.* : « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; » et consuetudo est optima legum interpretis, ut habetur l. 37. ff. *de Leg. et cap. Cum dilectus 8. de Consuetudin.*

(26. Ubique fere locorum receptum est moribus patriam potestatem dissolvi per nuptias filia, quocirca adhærendum est illis, qui indistincte sentiunt, hodie pro dote profectitia ipsam filiam solum agere posse. Bohemer, in *Introd. ad Jus digest. lib. 24. tit. 3. n. 7.* Stryk in usu modern. *Pandect., lib. 23. tit. 4. § 11. Muller., in addit. ad Struv., exerc. 30. thes. 50. litt. E.*

ADDITIO NOVISSIMA.

(27. Mulierem pro Dote tacitam habere hypothecam, cum prælatione adversus ejusdem Mariti creditores anteriori licet hypotheca munitos cognitissimi juris est ex vulgatissima *Leg. Assiduis Cod. qui potiores in pign.* etc. At vexatissima quæstio est, an hanc ipsam prælationem obtinere debeat contra Fiscum, qui anteriorem habeat hypothecam.

(28. Ea nonnullis in sevit opinio, quod hanc adversus Fiscum anteriorem hypothecam habentem haud obtinet prælationem. Movetur hi, quod in leg. 2. *Cod. de Privileg. Fisci* dispositum sit parem esse causam Fisci, ac Mulieris, hinc inferendo, quod Fisco anteriori hypotheca sic munito nequeat Mulier præferri.

(29. At prævaluit contraria sententia, quod scilicet Mulier præferatur Fisco anteriori licet hypotheca vallato. Ratio; et quidem

solidissima, contrariæ hujus sententiæ hæc est, quod dicta Lex 2 lata fuit ab Antonino Imperatore, quo tempore nulla mulier obtinebat prælationem. Abrogata propterea Lex hæc 2, dici debeat a posteriori lege *Assiduis* Imperatoris Justiniani, qua prælatio fuit prima mulieri tributa.

Ita post alios tradunt Zoes in *Comment. ad Pandect. l. 20. tit. 4. n. 18.* Anton. Faber *Conject. l. 8. c. 12. Mare. controvers. jur. l. 6. c. 31. n. 14.* Bachov. *de Pign. l. 4. cap. 14. n. 2.* Schovartzenthal. *de Pign. et Hypoth. c. 28. sub n. 29.* Costanus *de Dote c. 7. n. 7.* et secundum contrariam hanc sententiam decrevit Camera Apostolica die 28 Aprilis 1638. et rursus die 27 Februarii 1760.

ARTICULUS IV.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Dos quoad fideicommissum.

(1. Eo ingens Fideicommissum processerat libido, ut naturæ omnino vinculis obliiti, et propriis filiabus turpem præponentes ambitionem, easdem indotatas relinquerent: hinc infinitæ fœminæ ob Parentum crudelitatem innuptæ cum fastidiosam, et Reipublicæ noxiam servare cogentur virginitatem, Civium paulatim deficiebat frequentia. Vidit hæc Imperator, tantoque malo finem statim, modumque ponere decrevit. (2. Quamobrem suam edidit Constit. *Novell. 39. ex cujus c. 1. celebris decerpta fuit Auth. Res que C. comm. de leg. in tribunalibus*, nemine discrepante, admissa, in qua mandavit: « Si liberis portio legitima non sufficiat ad dotis, sive donationis propter nuptias obligationem, permittitur res prædictas in eam causam alienare, vel obligare pro modo honestati personarum congruo. » Cum enim propter generis propagationem favor dotis, ut fœminæ nubant, publicam respiciat utilitatem l. 2. ff. *de Jur. dot.* (3. Ita æquum est ut particularis Fideicommissariorum utilitas postponatur, cum « ea quæ communiter omnibus prosunt, his quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponi debeant, » inquit idem Justinianus.

(4. Neque dubitari potest quin hujus Auth. beneficio perfruantur filia primæ gradus, ac neptes indistincte. (5. Non enim Imperator consuluit filiis tantum, sed liberis, quod nomen cum magis late pateat, quam filiorum nomen, æque primum ac posteriores gradus complectitur l. 6. ff. *de Testam. tut.* « Quid si nepotes sint? Et magis est, ut ipsis quoque dati videantur, si modo liberos dixit. Cæterum si filios, non continebuntur » et l. 201. ff. *de verb. signif.* Bruneman. in C. lib. 6. tit. 46. in *Auth. Res que num. 5.*

(6. Neque adversatur contraria disponentis voluntas, qui penitus dotium prohibuerit detractores, etenim non ex præsumpta Testatoris voluntate, ut colligitur ex l. 22. § pen. ff. *ad S. C. Trebell.*, fœminis ex fideicommissis constituuntur dotes, (7. sed ex auctoritate juris nuptias tali favore promotis, (8. et constituentis, paterni esse officii dotem vel donationem propter nuptias filiabus relinquere, ex quo fit, ut contraria

disponentis voluntas non attendatur. Perez. Tulden. Corvin. in *Cod. lib. 6. tit. 43. Dn. Richter. in hanc Auth. in fin. Rot. cor. Falconer. tit. de Cens. decis. 5. num. 12.* (9. Bona vero ob hanc causam a fideicommissis avulsa libera prorsus remanent quæ ad illorum libertatem requiratur supremi Principis auctoritas dict. *Novell. 39. cap. 1. Sichad. ad Auth. Res que et Corvin. loco cit. Rot. cor. Molines decis. 724. n. 8. et decis. 889. n. 1.* (10. adeo ut etiam in tertios translatis sint isti, possunt eorumdem possessionem dictæ authenticæ beneficio tueri. *Rot. cor. Falconer. tit. de Dote dec. 14. n. 1.*

(11. Quamvis vero Justinianus de dotibus tantummodo temporalibus loqui videatur, doctores tamen, et tribunalia eadem Constitutionem extendunt etiam ad dotes spirituales. *Rot. cor. Falconer. decis. 5. n. 5. tit. de Cens.* (12. Insuper favore legitimarum non minus, quam simpliciter naturalium *Rot. cor. Lancet. dec. 35. num. 4.* (13. et pro sorte æque ac pro fructibus, et interusuriis dotalibus. *Rot. decis. 1359. num. 22. cor. eod.* (14. quod procedit sive de constituenda, sive de restituenda dote agatur: *Dot. cor. Falconer. tit. de Dot. decis. 1. sub num. 9. decis. 9. in princ. decis. 18. num. 9. et cor. Lancet. decis. 914. num. 3.* (15. ad quam tenentur etiam cohæredes in propriis portionibus, licet dotes fuerint pro aliorum cohæredum filiabus distractæ, cum hoc onus sit reale, et transcat ad quemcumque possessorem. *Rot. cor. Falconer. tit. de Dot. decis. 19. num. 1. et 2.* (16. Hinc quilibet possessor potest tum ab ipsis mulieribus, tum ab omnibus mulierum hæredibus licet extraneis pro dotis restitutione conveniri. *Rot. cor. Falconer. tit. de Dote decis. 2. n. 2. et cor. Molines decis. 910. num. 11.*

(17. Sed cum admissa ob dotis causam Fideicommissorum distractione, Fideicommissum voluntates eluderentur, et paulatim subverterentur, quod maxime a legibus injuriosum reputatur, *Rot. cor. Falcon. tit. de Dot. decis. 12. num. 3.* hinc per juris Interpretes cautum est, ut non alias dictæ Constitutioni locus sit, nisi evidentissime constet de honorum liberorum inexistencia, ex quibus dotes detrahi possint. *Rot. decis. 28. num. 5. in Miscell. cor. Falconer. et decis. 5. n. 10. tit. de Aliment. cor. eod.* (18. 19. adeo ut existentibus bonis liberis, etiamsi testator fœminarum dotationem ordinaverit, nihilo tamen minus ex bonis fideicommissariis detrahi nequeunt dotes in vim dictæ Authenticæ, quæ mere subsidiaria est. *Rot. cor. Molines decision. 476. num. 18. et decision. 821. num. 4.*

(20. Firmato quod ex fideicommissis detrahi possunt dotes, nunc quæritur a quo fideicommissis detrahantur. Fideicommissa enim alia sunt ab ascendentibus, alia a transversalibus, alia ab extraneis condita, alia demum sunt universalis, alia particularia. (21. De fideicommissis universalibus ascendentiis a nemine dubitatur ut ex Bruneman. Corvin. loc. citat. et Cujac. in *Novell. 39.* (25. Quæstio in qua plene Doctores non con-

veniunt, circa transversalium fideicommissa et fideicommissa particularia versatur. (26. Inspectis certe prioribus Novellæ et Authenticæ verbis *si liberis portio legitima non sufficiat*, videtur Imperator de solis fideicommissis ascendentium, non vero de transversalium fideicommissis intellexisse, cum soli ascendentes dicantur habere liberos, et ita cum majori Doctorum numero sentit Rot. cor. Falconer. *de Fideicommissis*. decis. 43, numer. 3, et decis. 75, num. 20, decis. 22, num. 9. *de Dot.* et in *Miscell.* 89, num. 44, cor. Lancett. decis. 170, num. 9, decis. 664, num. 18, et decis. 1133, n. 12. (27. Dummodo tamen expresse a Testatore transversali non fuisset præscripta feminarum dotatio. Dec. 1186, n. 30. et 31. cor. Molines.)

(28. 29. Quod si totius dictæ Constitutionis contextus expressa ratio expendatur contrarium videtur sentiendum. Non enim Imperator a parentum officio erga fœminas descendentes, non ab eorundem pietate motus apparet ad omnino solvenda pro dotibus constituendis fideicommissorum vincula, sed quia « ea quæ communiter omnibus prosunt, his, quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. » Sed si publica utilitas unice Imperatorem impulit ad hanc statuendam Legem contra ascendentium fideicommissa, nulla apparet rationis disparitas, ob quam eadem procedere non debeat in transversalium quoque fideicommissis. Favor enim publicus non Fideicommissentium, sed Fœminarum personas dotis constitutione indigentes respicit, ut nubere possint; quæ ratio cum in utroque fideicommissio locum habeat, videretur eadem pari jure procedere

DUBITATIO TEMERARIA.

Vide verb. JUDICIUM TEMERARIUM, a num. 2 ad 16.

DUBIUM.

Vide verb. CONSCIENCIA, a num. 23 ad 30.

DUELLUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.*

1. Duellum proprie dictum quid sit. — 2. Duellum debet esse cum effectu; nam duellantes ad solam apparentiam non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes infictas. — 3. Duellum est prohibitum, si fiat privata auctoritate; si autem fiat auctoritate publica ex justa causa, non est prohibitum. — 4. Duellum proprie dictum debet esse ex conducto; unde ex subita ira progredientes, et duellantes non incurrunt pœnas. — 5. Duellum proprie dictum debet esse initum *statuto loco, et tempore.* — 6. Duellum proprie dictum debet esse cum periculo occisionis, vel mutilationis, vel vulneris; unde certamen factum cum pugnis, vel quocumque alio instrumento sine periculo occisionis, vel mutilationis non subjacet pœnis. — 7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ illud dividunt in decretorium, propugnatorium, et satisfactorium. — 8. Duellum Decretorium quid sit. — 9. Duellum Propugnatorium quid sit. — 10. Duellum Satisfactorium quid sit. — 11. Theologi dividunt duellum in sex species, scilicet in duellum Manifestativum veri-

debere dispositio, nullafacta Fideicommissentium distinctione, dummodo is, qui dotare tenetur fideicommissa possideat, eoque magis, quia Justinianus, nullo designato fideicommissorum genere, a fideicommissis dotium detractionem præscribit; et ubi eadem occurrit ratio, idem esse debeat juris effectus; et ita sensit Riminald. cons. 324, n. 12. (29. In tribunalibus tamen vicit sententia prior, quamvis posterior mihi magis ratione consona, et Imperatoris menti accommodata videatur.

(30. 31. Super particularibus fideicommissis dissentiunt pariter Doctores. (32. Alii quippe affirmant, alii negant ex ipsis posse detrahi dotes; sed Sacræ Rotæ tribunal mitiorem admisit opinionem, quod nempe etiam a particularibus fideicommissis possint constitui dotes, quando alia bona tum libera, tum ex fideicommissis universalibus provenientia sunt. Rot. cor. Falconer. tit. *de Fideicom.* decis. 1, num. 16, ea semper potissima ratione, quia favor dotis publicam respicit utilitatem, et quibuscumque privatis fideicommissis prævalere debet. Gratian. *discept. Forens.* cap. 331, num. 4, et seq. Rot. in recent. part. 6, decis. 312, per tot. cor. Molines dec. 724, num. 14, et dec. 157, n. 10.

(33. 34. Quæri etiam potest, an dotes ex feudis possint detrahi, et distinguendum est inter feudum mere hæreditarium, et feudum ex pacto, et providentia. Primo casu feudum habetur ad instar bona alodialia, et potest ex eo constitui dos. Secundo vero casu non licet nisi ex fructibus donec vivit dotans, Peregrin. *de Fideicom.* artic. 42, num. 63. Reliqua super his vide infra in verb. *Feudum.*

tatis, Ostentativum virium, Evitativum ignominie, Terminativum controversie, Evitativum Belli, et Defensivum honoris. — 12. Duellum manifestativum veritatis quid sit? Hoc duellum est illicitum, non enim potest indici, aut acceptari hoc duellum pro indaganda veritate, aut innocentia, vel justitia alicujus. — 13. Duellum ostentativum virium quid sit. Et hoc etiam duellum est illicitum, non enim licet duellare ad ostendam peritiam, et virtutem duellandi. — 14. Duellum evitativum ignominie quid sit? Et hoc etiam duellum est illicitum; non enim licet acceptare duellum ad evitandam notam timiditatis. — 15. Duellum terminativum controversie quid sit? Et hoc etiam est illicitum. — 16. Duellum evitativum belli quid sit? Hoc duellum est licitum. — 17. Duellum defensivum honoris quid sit? Hoc duellum est illicitum. — 18. Duellum dividitur ab omnibus in duellum solemne, et in duellum privatum. Duellum solemne quid sit. — 19. Duellum privatum quid sit. — 20. Duellum ulterius dividitur in illud, quod fit auctoritate publica, et in illud, quod fit auctoritate privata, utrumque patet ex terminis. — 21. Duellum tum solemne, tum privatum, seu simplex est prohibitum Jure Divino, et humano, tam Civili, quam Canonico. — 22. Alia Remissive.

ARTICULUS II. — *Duellum quoad ejus pœnas et personas eas incurrentes, et earum absolutionem.*

1. Affertur in primis per extensum pro regula et notitia satis necessaria ad hæc omnia, Constitutio Clementis VIII. — 2. Enumerantur pœnæ principales contra duellantes statutæ. — 3. Vulneratus si in ipso loco duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eodem adhuc die, sicque sine vero sufficienti intervallo decedat, caret Ecclesiastica sepultura; quamvis pœnitens, et a censuris absolutus decedat. — 4. Si autem vulneratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. g. post unam, vel alteram diem, non caret Ecclesiastica sepultura. — 5. Pœnas impositas contra duellantes incurrunt, Primo: Ipsimet pugnantes, sive sint principales, sive non, sive sit solemne, sive sit privatum, vel simplex, etiamsi non sequatur mors seu mutilatio; immo quamvis initum fuerit pactum de statim terminando, etc. — 6. Secundo, illas pœnas incurrunt Patrini, socii, ad duellum serio provocantes, acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit secuta. — 7. Tertio, illas pœnas incurrunt duellantium adjuutores, sive auxilium, consilium, operam, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrantes. — 8. Consulens duellum non incurrit excommunicationem, si fecit quod potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit. — 9. Quarto, illas pœnas incurrunt spectatores ex industria, seu ex composito. — 10. Hinc pœnas illas non incurrunt, qui ex occulto, vel obiter transeundo respiciunt. — 11. Quinto,

ARTICULUS I.

Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.

(1. Duellum proprie dictum, seu Monomachia est pugna inita inter duos, vel plures in pari numero, privata auctoritate, et ex conducto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris. Est in re communis. Ad majorem autem, et clariorem ejus intelligentiam explicantur singulæ principales particulæ: (2. Dicitur primo *Pugna inita*, ut intelligatur debere duellum esse cum effectu, nam duellantes ad solam apparentiam, ex quo antea convenierint sese non vulnerare, sed honoris gratia duellum simulare, non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes infictas, ut tradunt Caraffa *de Duell.* tract. 1, sect. 5, quæst. 6, num. 1. Raynold. lib. 5, c. 9, § 3 et 4, num. 3. Pignatell. tom. 9, consult. 88, num. 62. Gomezius de Amescua *de Potest. in seipsum* lib. 2, cap. 5, num. 24 et alii. (3. Dicitur secundo *privata auctoritate*, ad denotandum quod non sunt prohibita duella illa, quæ publica auctoritate inter hostes fiunt, inter quæ celebre est illud Davidis cum Goliath in lib. 1. Reg. c. 17. Sic etiam D. Wenceslaus Bohemæ dux, ut in ejus officio legitur, ad singulare certamen adversus duccem Curimensem eo fine accessit, ut suorum saluti prospiceret, ac proinde visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: *Ne ferias.* (4. Dicitur tertio *ex conducto*, quia ad hoc, ut verificetur duellum proprie dictum, requiritur præcedens tractatus et deliberatio; si enim unus ex rixantibus alium ad dimicandum provocet ex calore iracundie, et statim pugnent, non erit verum duellum. Sic censuit Sac. Congr. Conc. in

illas pœnas incurrunt locorum Domini, Magistratus, Præsides, Locumtenentes, Duces militum, et Capitanei, qui duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt. — 12. Civitates vero, Oppida, Terræ, Castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus, aut tolerantibus Dominis, Ecclesiastico subjiunguntur Interdicto. — 13. Sexto, illas pœnas incurrunt omnes scripta, et manifesta ad duellum præparatoria efficientes, nec non quascumque, etiam sine scripto, denunciations, declarationes, narrationes, etc., etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus, ad pugnam proximam, neque expressa, aut aperta provocatio subsequuta fuerit. — 14. Illas pœnas incurrunt etiam Christiani cum Turcis duellantes. — 15. Non incurrunt tamen tales pœnas ratum habentes duellum suo nomine factum. — 16. Exemplificantur varii casus, in quibus provocatus ad duellum non incurrit illas pœnas, *usque ad n. 19.* — 20. Absolutio ab excommunicatione incursa ob duellum ratione citat. Constit. Clementis VIII. non poterat impendi extra articulum mortis nisi a Romano Pontifice pro tempore existente. — 21. Hodie tamen talis absolutio potest impendi virtute suorum privilegiorum a Confessariis Regularibus extra Italiam, et in Urbe Romana, licet non intra Italiam, et extra Urbem. — 22. Alia de pœnis in duellantibus consulenda. — 23. Constitutio Benedicti XIV. — 24. De Duelli Origine. — 25. Idem de causa ejusdem. — 26. Quibus est vetitum legibus. — 27. Media quæ Bacon a Verulamia suadet ad impedienda Duella.

Segobien. 15 Oct. 1644, teste Pignatell. tom. 1, consultat. 317. (3. Dicitur quarto *statuto loco et tempore*, quia sine determinatione certi loci, et temporis non est proprie duellum, ut resolvit Sac. Congr. Conc. in *Nullius* 15 Octob. 1644, lib. 17 decretor., fol. 460. Et per hoc, quod non fuit determinatum certum tempus, et locus, Sac. Cong. Immunitatis in una Civitatis Castellane ponente Card. Vallemanno die 13. Febr. 1703, non habuit pro duello sequens Vigilietum disfidæ: « Sig. Alessandro siete un mentitore, etc., v' intimo però a battervi meco a corpo a corpo con la spada alla mano, onde dovrete cingerla, acciocchè dove c' incontriamo, possa sostenervi, e ratificarvi con quella, tutto quello che di proprio pugno vi scrivo. » (6. Dicitur quinto « *cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris*, ut excludantur a ratione duelli contentiones, et exercitationes vulgo dictæ *di Scherma*, cum istæ fiant sine periculo mutilationis, vulneris, vel mortis, et etiam excludantur contentiones, quæ fiunt cum pugnis, vel capillorum evulsione; Murga disquisit. Canon. t. 2, disp. 11, dub. 1, n. 1. Pascucci. in annot. ad Pignatell. tom. 1, tit. *de Duellante finem* fol. 240 vers. *Excluditur etiam*, ubi excludit a ratione veri duelli omnes alias contentiones, seu pugnas quocumque alio instrumento fiant, dummodo ex illis non imminet periculum mortis, seu mutilationis, et Pignatell. tom. 9, cons. 88, n. 63.

(7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ sequentes Joan. de Lignan. Tract. de Duell. cap. 2, n. 1, illud dividunt in Decretorium, Propugnatorium, et Satisfactorium. (8. Duellum Decretorium est illud, in quo duellantes hac lege arma movent, ut a pugna cessare non